

*Si enim comprehendi posset, mysterium non esset. Et si nihil credere vident Calviniani, quod ipsis sit imperceptibile, videant, quo pacto Arrianismum effugere valeant. Non enim minus sublime & rationi contrarium apparet Mysterium de DEO Trinuno, quam de Christo Binuno, & ceteris, in quibus errant fidei capitibus. Quæ gravissima verba sunt saepius hactenus laudati B. Balth. Meisn. in Epist. dedic. ad Part. I. Phil. Sobr.*

§. 14. Obsignamus presentem dissertationem nostram genuino è S.S. Patribus loco, tanquam genuina gemma, B. Chrysostomi uno, altero B. Hilarii. Ita vero os aureum in Hom. 21. in Gen. inquit: *Magnum periculum est, res fidei humanis committere rationibus.* Hilarius ita L. 10. de Trinit. *In simplicitate fides est, in fide charitas, nec per multas ac difficiles quaestiones nos Deus ad salutem eternam vocat.* Isti vero  
DEO T. O. M. honor sit ac laus nunc & in  
æterna Secula! Amen.

## COROLLARIA.

### I.

*Mathesis rationi principiis revelatis subjugandæ plurimum conferre potest.*

### II.

*Templum à Salomone extructum, ideam & normam architecturæ esse posse non dubitamus.*

### III.

*Imo Ethnicorum Architecturam, quam hodienum admiramur, inde originem suam duxisse persuasi sumus.*

### IV.

*Etiam si Spiritum S. in S. Scriptura veritatum Philosophiarum subtilitates minimum curasse credamus, ideo tamen, eum ad opinionem vulgi se accommodasse, merito dicere veremur.*

